

7 JUNII, FERIA III

2^o de S. Maria, 3^o de S. Joseph, etc.,
usque ad Suffragium de Pace inclu-
sive, post quod dicitur : Per Domi-
num... sæculorum. Amen. (Suffragia
hæc describuntur Q. 66.)

14. Subdiaconus : Domine, exaudi... Et clamor... (Diaconus : Dominus
vobiscum. Et cum spiritu tuo.)

Benedicamus Domino. Deo gratias. Fidelium animæ... in pace. Amen.

15. Pater... a malo. Amen. (nisi statim dicatur Completorium, quia tunc
omittitur.)

22 DECEMBRIS, FERIA V

COMPLETORIUM

Completorium totum dicitur ut supra describitur pro Festo semiduplici,
Q. 66, excepto quod die 22 Decembris Preces quæ dicuntur post Ant. Salva
nos, in Choro dicendæ sint flexis genibus; — et quod in fine, loco Antiphonæ
B. M. V. Salve Regina, cum suo Versu et sua Oratione, dicatur Antiphona
B. M. V. Alma Redemptoris, cum Versu Angelus Domini, et Oratione Gra-
tiam tuam.

Post Officium divinum dicitur flexis genibus Oratio : Sacrosanctæ... cum
V. Beata viscera... et R. Et beata... et additur Pater noster... Ave Maria...

PARS SECUNDA

DE BREVIARIO ROMANO EJUSQUE PRÆLUDIIS

CAPUT I

De Breviario Romano

Q. 70. Explica nomen Breviarii Romani.

R. Breviarii nomen sortitum est Officium divinum,
ex quo Officium valde contractum fuit; quasi diceretur
Breve horarium sive Precum epitome. — At in veriori sen-
su Breviarium dicitur liber in quo Officium divinum
continetur, et significat Compendium, sive Summarium,
Concisum opus, et etiam Indicem. Est enim admirabile
mysteriorum Sacræ Scripturæ compendium, quum con-
tineat Psalmos et selectissima quæque Veteris et Novi
Testamenti, Patrum monumenta nobiliora, Acta præ-
cipua Sanctorum, breves denique Orationes; et indicat
quotidie quæ preces sint adhibendæ. — Romanum di-
citur, quia preces continet juxta ritum Sanctæ Roma-
næ Ecclesiæ.

Nomen Breviarii primum usurpatum fuit ab Alcuino († 804);
hic composuit librum precum ad usum laicorum, continentem
officium aliquod abbreviatum « qualiter homo laicus... per
dinumeratas horas has Deo supplicare debeat »; quem Carolo
Magno Imperatori, cui familiaris erat, dedicavit; huic libro
nomen dedit Breviarii.

Ad persolvendum Officium divinum Clerici pluribus indige-
bant libris, quos recenset Beletus (sæculi XII) in suo Rationa-
li, Capite LX; nominantur: Bibliotheca, seu Biblia sacra, pro
lectionibus Scripturæ Sacræ; Passionarius, pro legendis SS.
Martyrum; Legendarius, pro legendis Sanctorum non Marty-
rum; Homeliarius, pro Homiliis super Evangelio; Sermolo-
gus, pro Sermonibus et Tractatibus SS. Patrum; insuper habe-
bantur Psalterium, Antiphonarium, Sacramentarium pro Colle-
ctis seu Orationibus, et Martyrologium.

Ex his diversis libris summam componere primum tentave-
runt Monachi Benedictini Montis Cassini, cujus summæ exstat
manuscriptum anni 1099.

Romæ nomen et res primum occurrunt regnante Innocentio
III († 1216), quando introducta fuerunt Breviaria de camera,
seu secundum usum Romanæ Curia, de quibus dicitur in re-
sponso ad Quæstionem sequentem.

Q. 71. *Breviter expone quale olim fuerit Officium divinum, et quomodo fuerit successive mutatum usque ad tempora Concilii Tridentini.*

R. I. In Ecclesiæ exordio Officium divinum constabat certo Psalmorum numero, cum Lectione plus minusve longa e Scriptura Sacra, et terminabatur Oratione Dominica.

II. Versus finem sæculi IV et sæculo V, S. Damasus († 384) inter et S. Gelasium († 496), introducta fuit regularis distributio Psalmorum in diei noctisque Horis, et per hebdomadam, additæque fuerunt Antiphonæ, Collectæ et Responsoria. Psalmorum distributionem pro Officio exhibebat *Psalterium*, Lectiones vero *Lectionarius liber*, seu ut vocabatur Comes, reliqua tandem *Sacramentarium*.

III. Determinata Officii Romani formula constituta fuit sæculo VIII, opusque fuit plurimorum Summorum Pontificum, quos inter præcipue celebratur S. Gregorius Magnus († 604), aliorumque virorum ecclesiasticorum.

Hoc Officium quasi immutatum usque ad sæculi XII finem retinuerunt Romæ Basilica S. Petri et Basilica Lateranensis. Hujus textum ex manuscripto sæculi XII, cui titulus *Antiphonarium Basilicæ S. Petri*, edidit Cardinalis Tommasi (Tomo IV operum editionis Romanæ 1747-1769); pauca si excipiantur, concordat cum iis quæ de Officio Romano Romæ anno 827 scripsit Amalarius in Tractatu *De Ecclesiastico Officio* (cfr. Migne, Patol. Latin. Tom. CV).

IV. In Bulla editionis Breviarii scribit S. Pius V hanc primam formulam fuisse reformatam a S. Gregorio VII († 1085); sed in quo consistat reformatio non patet ex monumentis. Videtur potius hic S. Pontifex propugnasse antiquum morem Romanum contra quosdam qui attentabant omnia Officia nocturna abbreviare ad modum Officii Paschatis et Pentecostes. Canonem Lectionum e Scriptura sacra per annum de novo ipse præscripsit.

V. Prima tentamina moderni Officii abbreviati et Breviarii testata habentur Romæ, regnante Innocentio III (1198 † 1216). Etenim Papa ejusque Clerici capellares Officium tunc cœperunt recitare, non integraliter sicut in Basilicis persolvebatur, sed abbreviatum et

alteratum, et hoc Officium vocabatur *Breviarium de Camera*, seu *Breviarium secundum usum Romanæ Curiaë*.

In isto novo ordine Antiphonarium, Responsale et Ordo Psalterii, item Commune Sanctorum ex antiquo Officio, paucis tantum immutatis, retenta fuerunt; sed Lectiones valde fuerunt abbreviatæ, et Hymni admissi; Calendarium Sanctorum fuit auctum, variaque nova fuerunt introducta, ut Symbolum S. Athanasii, Suffragia Sanctorum, Officium quotidianum B. Mariæ V., Officium Defunctorum, et alia. Insuper duplicis Officii seu duorum Officiorum in Sanctorum Festis (de Tempore scilicet et de Sanctis) recitatio fuit omissa, et composita fuerunt Officia de Sanctis cum Officiis de Tempore eo fere modo quo adhuc hodiedum fit infra Octavam Nativitatis Domini. Tandem *Vesperæ secundæ* in Festis tunc fuerunt admissæ.

Hujusmodi Breviarii de Camera hodiedum nusquam reperitum fuit exemplar; sed plura de hoc Officio describit Radulphus de Rivo (van Beek?) ex Breda, præpositus Ecclesiæ Tungrensensis, in suo Tractatu *De Canonum observantia* (cfr. Bibliotheca veterum Patrum, Lugduni, 1677, Tom. xxvi); hic testatur se vidisse hujusmodi Officii ordinarium Romæ, ubi decessit anno 1403.

VI. Sæculo XIII Haymo, Franciscalium Generalis Minister, cum approbatione Gregorii IX, anno 1241, *Breviarium de Camera* correxit. Distinxit ipse duo Officia, de Tempore nempe et de Sanctis, duplicemque inde in Breviario induxit partem, deditque Officio et Breviario eam quam hodiedum habet formam.

Fratres minores juxta Regulam Seraphici Patris S. Francisci, anni 1223, debebant persolvere « divinum Officium secundum ordinem S. Romanæ Ecclesiæ », scilicet, uti ipsi interpretati sunt, secundum ordinem qui pro tempore servabatur in Capella Apostolica; et, ait Radulphus Tungrensensis, « Officium brevium secuti sunt ». Non tamen servaverunt illud inalteratum, et mox prodiit quasi ejusdem altera editio ab Haymone correctæ, quam confirmavit Gregorius IX. Hæc Officii divini formula ab ipsis mire et ubique fuit propagata; imo paulo post Romæ Nicolaus III (1277-1280) « fecit in Ecclesiis Urbis amoveri... libros Officii antiquos... », et mandavit ut de cetero Ecclesiæ Urbis uterentur... *breviariis Fratrum Minorum*... Unde hodie in Roma omnes libri sunt novi et Franciscani ». Ita Radulphus Tungrensensis (Prop. 22). Tandem, anno 1337, Avenione ordinatum fuit, ut omnes clerici et personæ diocesis, pristinis veterum codicum rudimentis omissis, Officium divinum dicant juxta ordinem quo Ecclesia utitur et Curia Romana. Et ita fere ubique a sæcularibus receptum fuit hoc *Breviarium*.

VII. Post diuturnitatem temporis, sequentibus sæculis ab antiqua institutione deflexit Officii formula, aliis eam mutilantibus, aliis mutantibus; imo paulatim irrepserat prava illa consuetudo ut Episcopi in Ecclesiis privatim sibi quisque Breviarium conficerent. Hinc surrexerunt dissimillima inter se ac pene cujusque Episcopatus propria Officia et Breviaria; unde secuta est tam multis in locis divini cultus perturbatio; ita ut sæculo XVI ineunte necessaria res visa fuerit, divini Officii formulam ad pristinam orandi regulam conformatam revocare. Hanc orandi varietatem gravissime ferens Paulus IV, ab initio sui Pontificatus, anno 1555, emendare constituit, et rationem dicendi Horas ad pristinum morem et institutum redigere suscepit.

Initio sæculi XVI, Leo X (1513-1521) primum cogitavit de reformatione Breviarii, volens illud reddere brevius, facilius, et ab omni errore purgatum; sed præter Hymnarium a Zacharia Ferreri compositum (cfr. Q. 39 in fine responsi) nihil editum fuit, et infecta relicta fuit reformatio.

Hortante Clemente VII (1523-1534), Cardinalis Quignonius, ordinis S. Francisci, composuit Breviarium variis modis immutatum et abbreviatum; ita Officia disposuerat, ut singulis hebdomadis totum Psalterium, assignatis tribus Psalmis unicuique Horæ uniuscujusque diei, et in Lectionibus major pars Sacræ Scripturæ per annum legeretur, Capitulis, Responsoriis, etc., re-jectis. Mortuo anno 1534 Clemente VII, promulgatum fuit hoc novum Breviarium sub Paulo III, anno 1535, et concessum pro lectione privata; sed mox inordinate assumptum fuerat pro Choris plurium Ecclesiarum Cathedralium.

Plures editiones hujus Breviarii impressæ fuerunt Romæ, Coloniae, Venetiis, Parisiis, Lugduni et Antverpiæ. Editionem Venetiis anno 1535 impressam, iterum edidit anno 1888 J. Wickham Legg, Cantabrigiæ, typisatque impensis Academiae.

Eodem tempore Joannes Petrus Carafa, Episcopus Theatinus, socius S. Cajetani, nobilis Thienæ gentis, in instituendo Ordine Clericorum Regularium, qui Theatini dicuntur (cfr. Breviarium, 7 Augusti), promovere cupiens divini cultus studium, reformare intendit Breviarium, ad usum Theatinorum, ejusque reformatio anno 1529 a Clemente VII laudata fuit; et cum ipse postea esset Summus Pontifex, nomine Paulus IV (anno 1555), reformationem suam iterum correxerit. Anno 1558 prohibuit novas impressiones Breviarii Cardinalis Quignonii.

VIII. Sed Paulo IV de vita decedente anno 1559, nondum perfectis iis quæ egregie inchoaverat, sub ejus

successore Pio IV, Patres Concilii Tridentini Breviarii reformationem ex ipsius Pauli IV ratione instituere cogitarunt. Instante vero anno 1563 Concilii conclusione, res infecta ad auctoritatem judiciumque Pii IV ex Decreto ejusdem Concilii relata fuit, qui, illis ipsis Patribus a Concilio ad id munus delectis Romam vocatis, nonnullisque in Urbe idoneis viris ad eum numerum adjunctis, rem perficiendam curavit; ast et ipse eam absolutam non vidit, cum decessit anno 1565.

Q. 72. *Quis summus Pontifex, et quo anno, restitutum Breviarium edidit; et quid de aliis Breviariis existentibus decrevit?*

R. Sanctus Pius V, anno 1568, edita Bulla *Quod a nobis*, Breviarium jussu Concilii Tridentini restitutum edidit. Simul interdixit et abolevit Breviaria alia quæcumque, vel antiquiora, vel quovis privilegio munita, vel ab Episcopis pervulgata. Illa tamen excepit Breviaria, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, ducentis annis in usu jam erant: ex hoc privilegio propria sua Breviaria retinere potuerunt aliqui Monachorum et Religiosorum ordines, Benedictini, Cistercienses, Præmonstratenses, aliique. (Cfr. Bulla *Quod a nobis*, data septimo Idus Julii anni 1568, descripta in capite Breviarii Romani.)

In hac S. Pii V reformatione variæ partes, ex. gr., Antiphonarium et Responsoriale, antiquo Officio Ecclesiæ Romanæ sæculi VIII conformes satis sunt; item distributio Lectionum de Scriptura generatim eadem est quam ex antiquo Officio statuerat S. Gregorius VII; Hymnarium sæculi XIII fuit retentum; ita ut quoad præcipuas et substantiales partes Officium Breviarii de Camera, imo Officium sæculi VIII, ad nostra tempora hac salutari reformatione perducta fuisse gaudere liceat. Lectionarium de Sanctis in multis fuit correctum, et Calendarium Sanctorum restrictum, eo modo ut circiter 160 tantum Officia Festorum fuerint retenta, remanserintque pro Officiis de Tempore in Dominicis et Feriis per annum circiter ducenti dies liberi.

Quando hæc Bulla S. Pii V ad notitiam Orbis Catholici perlata fuit, plurimæ Ecclesiæ eandem promptissime amplexæ sunt et ad effectum deduxerunt: citat Schober in sua Explanatione critica editionis typicæ Breviarii Romani (Cap. II, n. 17) primo Concilium Mediolanense II, sub S. Carolo Borromæo anno 1569 habitum, deinde secundo loco Concilium

Provinciale Mechliniense I, anni 1570. (Cfr. Synodicon Belgicum, Tom. I, pag. 104, Tit. IV, Cap. XVI.)

Q. 73. Quid statuit S. Pius V in citata Bulla, de obligatione in Breviario præscripta dicendi certis diebus Officium B. Mariæ V. et Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales et Graduales?

R. Multorum occupationibus indulgens, obligationem removet, sed vehementer omnes cohortatur ut eas preces et Dei laudes dicant; concessis etiam, omnibus qui illis ipsis diebus in Rubricis præfinitis, B. Mariæ vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dierum; qui vero septem Psalmos, vel Graduales, quinquaginta dierum indulgentiis. Retinuit tamen S. Pius obligationem dicendi Officium parvum B. Mariæ V. in iis ecclesiis, in quibus illud in choro dici consueverat.

NOTA. I. Officium in honorem B. Mariæ Virginis quotidie adjungere Officio divino ex testimonio Petri Diaconi (monachi Cassinensis sæculi IX) præscriptum fuit sæculo VIII a S. Gregorio II monachis Benedictinis Montis Cassini. Sæculo XI S. Petrus Damianus collapsam consuetudinem illud recitandi restituit apud Camaldulenses, illiusque Officii recitationem propagavit in pluribus ecclesiis. (Cfr. Breviarium Romanum, 23 Februarii, Lectio VI.) S. Urbanus II, anno 1095, illud præscripsit clericis sæcularibus. Prima attestatio de observantia hujus recitationis apud Clerum Romanum datur in Breviario de Camera tempore Innocentii III.

In non paucis Monasteriis Religiosorum et Monachorum adhuc hodie, vel quotidie, vel certis diebus, in Choro dicitur hoc Officium parvum, ex. gr., apud Præmonstratenses.

Illud etiam solum, tamquam quotidianum pensum, recitant multæ Monialium Congregationes, necnon Tertiarii, alique.

(Cfr. *Commentaire du Petit Office de la T. S. Vierge*, par Schäfer, traduit de l'allemand et augmenté par le R. P. Dom. Laurent Janssens. Tournai, 1890.)

NOTA. II. Officium Defunctorum ab ineunte sæculo VIII Romæ reperitur institutum tamquam præludium Sacrificii pro defunctis in dormitione oblatis. Pauca si excipiantur (Responsorium 9^{um} *Libera*, et Orationes) incorruptum ad nos pervenit. Mox plures Ecclesiæ illud sæpius quam in Officio sepulturæ persolvebant, imo sæculo XI quotidiana ejus celebratio in nonnullis Ecclesiis præscripta reperitur.

In Breviario S. Pii V appositum fuit pro qualibet Feria II in Adventu et in Quadragesima, et cæteris anni temporibus pro prima mensis die non impedita Festo novem Lectionum.

Obligatio illud recitandi remanet in Commemoratione

omnium Fidelium defunctorum, quam primus S. Odilo, abbas Cluniacensis († 1049), in suis monasteriis fieri præcepit, quem ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit. (Martirologium Romanum, 1 Januarii.)

Q. 74. Quid in edendo Romano Breviario præstiterunt Summi Pontifices Clemens VIII, et Urbanus VIII?

R. Cum ex negligentia typographorum et etiam audacia nonnullorum privatorum, varii errores et quædam mutationes in quibusdam Piani Breviarii editionibus irrepsissent, Clemens VIII, anno 1602, et deinde Urbanus VIII, anno 1631, Breviarium recognoverunt. Clemens VIII præcipue textum restituit; et insuper admisit distinctiones Festorum duplicium majorum, et Feriarum majorum. (Cfr. Bulla *Cum in Ecclesia*, data 10 Maji anni 1602, descripta in capite Breviarii Romani.) Urbanus VIII præter alia Hymnos sacros ad exactas carminis et latinitatis leges adornavit; restituit in Psalmis et Canticis interpunctionem editionis Vulgatæ, et canentium commoditati, additis asteriscis, consuluit; emendavitque Patrum Sermones et Homilias, Sanctorumque historias; ut omni nuga ac macula sublata, per universum orbem una unius Ecclesiæ voce laudes canerentur. Huic editioni hucusque omnia Breviaria Romana ubicumque impressa conformari debebant. (Cfr. Bulla *Divinam Psalmodyam*, data 25 Januarii anni 1631, descripta in capite Breviarii Romani.)

Q. 75. Refer quædam notatu digna de historia Breviarii Romani, inde a fine sæculi XVII usque ad Pium IX.

R. I. In Italia, in Hispaniis regionibusque eis subiectis, in pluribus Germaniæ partibus, reformatio Breviarii Romani promptissime accepta fuit, ita ut affirmari possit omnes singulares Ecclesias Romanum Breviarium adoptasse; in Gallia autem non ubique fuit receptum, sed quædam Ecclesiæ illud suis propriis ritibus accommodarunt.

Verum ab anno 1680 cœperunt in Gallia, sub impulsu Gallicanismi, novæ particularium reformationes Breviarii introduci; primo editum fuit Breviarium Pasisiense, moxque in multis Diocesisibus Breviaria, juxta exemplar Parisiense, sed propriis ritibus iterum accom-

modata vulgata fuerunt; non minus quam septemdecim Breviaria particularium Diocesium reperire est; imo, in nonnullis Diocesium Episcopi reformabant quod prædecessores statuerant, et ita reperiuntur Breviaria Parisiensi saltem quatuor vulgata a diversis Archiepiscopis. — Item in Austria et Germania, instigante nonnumquam civili gubernio, reformandi spiritus se manifestavit. Ad hæc impellebant sæpius defectus observantiæ erga Romanam Ecclesiam, et etiam novitatis cupido.

II. Summus Pontifex Benedictus XIV (1740-1758) iterum cogitavit de reformatione Breviarii, sequentibus ductus rationibus:

1° Frequentia Festorum: inde a S. Pio V, cum hoc tempore Ecclesia florisset non paucis Sanctis, sensim creverat Kalendarium Sanctorum, ita ut medio sæculo XVIII jam celebrarentur Sanctorum Festa duplicia 132, semiduplicia 96 in Kalendario Ecclesiæ universæ; ex qua frequentia surrexit frequentius Festorum impedimentum per occurrentiam Officiorum de Mysteriis vitæ, passionis et resurrectionis Domini, frequensque necessitas eorum translationis, unde non parva aliquando perturbatio in Kalendaris oriebatur. Dolebant quoque non pauci quod hac Festorum frequentia satis locus non daretur Officiis de Tempore in Dominicis et Feriis.

2° Necessitate occurrendi malo particularium Breviariorum, quæ in Gallia præsertim plura numero jam vulgata fuerant.

3° Desiderio corrigendi ea quæ a criticis eruditis, præsertim in Gallia a Tillemont et Baillet, tamquam non certa, nec exploratæ aut inconcussæ fidei, severiori tamen non raro iudicio, habebantur.

Benedictus XIV Congregationem specialem instituit, quæ reformationi Breviarii, et præsertim Kalendarii operam daret.

Hæc, post septem annorum (1741-1747) laborem, proposuit Festorum reductionem, pluriumque ritus diminutionem, ita ut Officiis Ferialibus per majorem anni partem locus daretur. (Cfr. *Analecta Juris Pontificii*, Series 42, n. 214.) Opus Congregationis videtur non

placuisse Pontifici, qui anno 1748 intendit ipse correctionem Breviarii perficere; ast infecto opere anno 1758 mortuus est. (Cfr. Battifol, *Histoire du Bréviaire Romain*, Chapitre VI.)

III. Pius IX anno 1860 iterum particularem Congregationem pro recognoscendo Breviario deputavit; sed a Commissione sententia data fuit quod nulla novæ recognitionis necessitas existeret.

Sub eodem Pontifice feliciter, tum in Gallia, tum in Germania aliisque regionibus, auctoritati Summorum Pontificum obtemperare, quod maxime in votis erat, studuerunt plerique Episcopi. Breviarium Romanum in Gallia introductum jam fuerat primo a Illmo Dño Parisiensi, Episcopo Lingoniensi, anno 1840, dein anno 1842 ab Emo Dño Gousset, Archiepiscopo Rhemensi; mox plura Concilia provincialia et Synodi Breviarium Romanum adoptarunt, ita ut Pius IX in Encyclica ad Episcopos Galliæ anni 1853 gaudium exprimere potuerit de restituta Romana Liturgia. Ad hunc felicem exitum multum contulit Rmus Guéranger, abbas Solesmensis, præstantissimo opere: *Institutions liturgiques*, cujus Tomus primus evulgatus fuit anno 1840.

Q. 76. Quænam in Concilio Vaticano proposita fuerunt de reformatione Breviarii? Quid hac in re præstitit his ultimis annis Leo XIII?

R. I. In Concilio Vaticano a diversis Episcopis proposita fuerunt varia postulata circa revisionem Breviarii, quorum præcipua spectant:

a) Psalmorum distributionem magis variatam: ut Psalterium totum recitaretur, vel per singulas hebdomadas, vel saltem aliquoties per annum;

b) Lectiones et Homilias Patrum: ut apocryphæ partes auferantur, et aliquando selectiores aptioresque sufficiantur;

c) Translationes Festorum frequentes nimis, nimiumque dilatas: ut Festa impedita celebrentur suo proprio die, facta tantum eorum commemoratione;

d) Delectum Sanctorum quorum Festa celebrantur, quorum multi Romæ proprii sunt, et extra Romam parum noti: ut alii substituantur;

e) Mensuram Officiorum, quæ sæpe, in Dominicis præsertim et Feriis, longiora videntur, et statui præsertim cleri sæcularis, magis occupati, non satis accommodata;

f) Tempus recitationis Officii: ut liceat anticipare, per totum annum, hora secunda post meridiem, recitationem Matutini cum Laudibus, saltem omnibus curam animarum habentibus;

g) Unitatem et conformitatem in Officiis: ut saltem in Ecclesia latina, in omnibus diocesisibus, tum a sæcularibus, tum a regularibus, per totum annum quotidie recitentur eadem Officia et celebrentur eadem Missæ.

(Cfr. Martin, Episc. Paderbornen.: *Omnium Concilii Vaticani documentorum collectio*. Editio 2. Pars 2, Sectio 2, nn. 1 (Postulata complurium Galliaë Episcoporum) p. 165; — 2 (Post. plur. Germaniæ Epp.) p. 178; — 4 (Post. Epp. Provinciarum Quebecen. et Halifaxien.) p. 188; — 5 (Post. Epp. Italiæ centralis) p. 190; — 11 (Post. Ep. Vincentini) p. 165; — 15 (Post. Generalis Minorum) p. 209.

II. Suspensis Concilii Vaticani laboribus, postulata non fuerunt examinata; attamen pro parte Summus Pontifex Leo XIII quibusdam satisfecit. Etenim:

Lectiones quædam historicæ fuerunt emendatæ (Postul. b). (Cfr. Q. 33, Nota.) — Translationes frequentiores auferuntur per commemorationes Officiorum Festorum duplicium minorum et semiduplicium, casu quo occurru majoris Festi seu Officii impediuntur, solum exceptis Festis sanctorum Ecclesiæ Doctorum (Postul. c). (Cfr. Breve Leonis XIII, 28 Julii 1882, n. 3551, antiq. 5846.) — Admittentur in Calendario Ecclesiæ universæ tantum ii præcipue Sancti, qui tamquam fidei præcones et apostoli in diversis regionibus coluntur (Postul. d). — Officia votiva per hebdomadam substitui possunt Officiis Ferialibus et Festorum simplicium (Postul. e). (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1883, n. 3581, antiq. 5879.)

Remanent Postulata a, f, et g, quorum admissio hucusque desideratur. (Cfr. Pastoral-Blatt des Bisthums Münster. XXII, 1884, pag. 112 et sqq. Zur Geschichte des Breviergebetes.)

Diversæ istæ mutationes necessariam reddiderunt novam Breviarii editionem, quæ auctoritate Leonis XIII recognita, accurate revisa, et ad normam novarum Rubricarum plane redacta, pro futuris temporibus uti typica habenda, ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, die 13 Aprilis 1885, data fuit.

Cumque hæc typica Breviarii editio, anni 1885, sensim inductis additamentis, ac præsertim Rubricarum variationibus, a S. Rituum Congregatione die 7 Decembris 1897 decretis, haud amplius sit conformis, nova editio, ceu typica pro futuris editionibus habenda, excusa et evulgata fuit anno 1900.

NOTA. Forsan et alias emendationes, imo et reformationem Breviarii Romani ulterius exspectare licet.

Etenim dictum jam fuit S. Rituum Congregationem, probante Summo Pontifice Leone XIII, per Decretum 28 Novembris 1902, constituisse Commissionem historico liturgicam, cujus erit revolvere, dilucidare, enodare quæstiones præsertim illas, quæ eventualem respicere possunt emendationem aut reformationem Breviarii. (Cfr. Nota ad Q. 9, et Nota ad Q. 33.)

Præterea anno 1900 prodiiit libellus: *Le Saint Bréviaire et son avenir, par Monseigneur Isoard, Evêque d'Annecy*. Paris et Annecy. Finis quem intendit auctor est: « faire naître en quelques esprits la pensée d'une sollicitation des mesures propres à rendre plus fructueuse, pour les âmes, pour la Sainte Eglise, la récitation du Bréviaire. » Medium propositum est reformatio Breviarii, per reductionem Festorum, et per distributionem Psalterii, eo modo ut per singulas hebdomadas integrum semper recitetur, ut in antiquitate observatum fuit. — Iterum profertur itaque Postulatum a (vide supra I) in Concilio Vaticano propositum. Res gravitate præstat. Notant Ephemerides Liturgicæ in recensione de libello (XV, 1901, pag. 193), auctorem gratulatorias litteras, etiam a Purpuratis Patribus, multas accepisse.

Q. 77. Quænam est Officiorum dispositio in Romano Breviario servata?

R. Breviarium Romanum pro quatuor anni temporibus ordinarie distribuitur in quatuor partes: Prima pars, **Hiemalis**, Officia continet tam de Tempore quam de Sanctis, quæ ab initio Adventus ad Dominicam I Quadragesimæ possunt occurrere. — Secunda pars, **Verna**, habet Officia, quæ incidunt tempore Quadragesimali et Paschali usque ad Nonam Sabbati infra Octavam Pentecostes, post quam, celebrata Missa, com-

La 1ª Dominica de mes es la mas proxima a las Kalendas y la primera de advento es la mas proxima a la fiesta de San Andres.